



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 103. Sessio II. Florentinæ Synodi post discessum Græcorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A. C. 1439.

rent. Hi pluribus propositis quæstionibus inquirebant de eorum fide, præcipue circa unitatem essentiae, Trinitatem Personarum, Humanitatem Christi Dominus septem Ecclesiae Sacramenta, aliosque articulos, qui fidem orthodoxam & universalis Ecclesiae ritus concernunt. Post multas disceptationes, & post accuratissimam rerum cum Armenis discussionem visum fuit summo Pontifici sub quodam brevi compendio, ut ipsemet loquitur, orthodoxæ fidei veritatem, quam Romana profitetur Ecclesia, illis tradere, *ne vana in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolica, unquam ipsa stabilis, & perpetua sine ullo scrupulo perseveret.*

§. CIII.

Sessio II Florentinae Synodi post discessum Græcorum.

Labbe Conc. tom. 13. p. 1580. in actis Patric. Græcis jamjam in Patriam digressis, die vigesima secunda Novembris habitata est Florentinae sessio secunda, cui intererant summus Pontifex Eugenius, ceterique omnes Cardinales, atque Prælati adhuc dum in urbe commorantes; non pauci enim post Græcorum discessum alio profecti sunt. In hac ergo Sessione publicatum est Decretum de Armenorum

unione cum Ecclesia Romana, quod Pa-
 pa ab illis Psalmistæ verbis auspicabatur: saecul. XV.
 A. G. 1439.

Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo

Jacob. Ps. 80. v. 1. Cum vero hujus de-
 creti inscriptio nonnisi Eugenii Papæ no-
 men præferat, plures illud tanquam a
 Synodo Oecumenica non emanatum car-
 punt. Hujus sententiæ fuisse constat
 Patrem Alexandrum, & cum illo sacræ
 Facultatis Theologicæ Parisiensis Magi-
 stros. Argumenta, quæ in opinionis suæ
 subsidium præfatus Auctor allegat, ejus-
 modi sunt. I. Quia *aberat Ecclesiæ pars*
altera, nimirum Orientalis: Cum tamen
Patriarcharum omnium, inquit ille, per se vel
per Legatos præsentia ad Synodum Occume-
nica necessaria sit. II. Quia Papa nullam
Orientalis Ecclesiæ mentionem facit, prout
tamen fecit in Decreto unionis Græco-
rum. III. Denique, quia Orientalis Præ-
 lati huic Decreto non subscripsissent, eo quod
 ritus in Ecclesia Græca non usurpatos, nec
 receptos tradat, præsertim Sacramentorum
 Confirmationis & ordinis (*). Summam
 præfati Decreti de Armenorum unionem
 in præsentiarum exhibemus.

§. CIV.

(*) Hanc Natalis sententiam ex propriis ipsius
 principiis satis superque confutavit Pater Ron-
 taglia in suis Animadversionibus in Concilium
 Basileense §. 3. in editione Lucensi Historiæ di-
 cti P. Alexandri Natalis. fol. 612.